



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XL. De Verborum Significatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

Etum nominatim denuntiatur. *Clem. 1. de sepult.*
Eandem Excommunicationem, & quidem Pon-
tifici reservatam, contrahunt Domini temporales,
qui compellunt Clericum ad celebrandum in loco
interdicto, item interdicti denuntiati, qui, post-
quam jussi sunt, non exeunt de templo, ubi cele-
bratur Missa. *Clem. 2. h. t.*

Quæres, quid sit *Cessatio à Divinis*, & quomo- 20
do differat ab Interdicto? *R. 1.* Est *prohibitio*
Ecclesiastica, Clericis imposta, ut in aliquo loco ab-
stineant ab Officiis Divinis, & quorundam Sacra-
mentorum administratione ob grave alicujus deli-
ctum (cedens in enormem injuriam Divini hono-
ris vel Ecclesiæ) *in contestationem mæroris. c. 11,*
de Sponsal. c. 2. 8. de off. Ord. in 6. R. 2. Differt
ab Interdicto, quia prohibitio directe non spe-
ctat delinquentem, sed Clericum, non in pœnam,
sed in signum doloris ob læsionem honoris Divini
vel Ecclesiæ, ut hoc modo delinquens excitetur
ad emendationem, & ad reparandam congrua sa-
tisfactione offensam: quod si intra mensem non
præstiterit, nec causa Romam delata fuerit, desi-
nere debet cessatio à Divinis. *c. 8. cit.* Unde appa-
ret, Censuram non esse. Deinde Cessatio à Di-
vinis semper ab Homine, nunquam à Jure, indici-
tur, Interdictum verò ab utroque.

TITULUS XL.

De Verborum Significatione.

SUMMARIUM.

1. 2. *Verba sunt accipienda juxta mentem profe-*
rentis.

Pars II.

Eff

3. Quo-

3. *Quomodo, si dubia sint, interpretanda.*
4. *Generalia an generaliter intelligenda.*
5. *Quid operentur specialia, & geminata,*

I **C**um in toto Jure plurimum interfit Legislatorum mentem atque Legum sensum, quod utrumque vel maximè genuina vocum significatione & intelligentiâ obtinetur, ritè perspectum habere, ideo ad finem Juris utriusque, Canonici & Digestorum, ponitur titulus de *Verborum Significatione*, de qua pono sequentes regulas, &

2 Dico 1. Verba sunt accipienda juxta mentem & intentionem proferentis, unde unde de illa liquidd constiterit; hæc enim velut Regina semper attendi debet in qualibet dispositione. *l. 69. pr. ff. de Legat. III. c. 6. h. t.* Unde illud receptum: *verba intentioni, non intentio verbis deservire debet.* Mens autem proferentis præcipuè elucet vel ex ratione adjecta, quæ est quasi anima dispositionis, & quasi idem cum mente loquentis: vel ex verborum propria significatione, quam habent ex institutione sua, aut potiùs communi peritorum usui & acceptione. *c. 2. de translat. Episc. c. 12. de Decimis. l. 69. cit.* Nisi nimirum ex verbis in propria significatione acceptis sequeretur absurdum, vel dispositio careret effectu, vel subjecta materia, aut antecedentia & consequentia non paterentur verba propriè accipi. *l. 69. c. 6. c. 7. ff. de R. J.*

3 Dico 2. Si verba aliquo modo sunt dubia & ambigua) nam in claris non habet locum interpretatio) ita sunt interpretanda. 1. Ut quàm maximè consonent menti loquentis aliunde cognitæ.

2. Ut

De Verborum Significatione. 819

2. Ut evitetur iniquitas, peccatum, vel præjudici-
um tertii. 3. Ut evitetur contraditio, vel Juris
correctio. 4. Ut consonent rei ac materiæ sub-
jectæ, vel personis, circa quas proferuntur. 5. Ut
correspondeant præcedentibus & consequenti-
bus. 6. Ut operentur aliquem effectum: licet
potius sustineatur superfluitas, & carentia effe-
ctûs, vel etiam improprietas verborum, quàm ab-
surdum, iniquitas, præjudicium tertii, vel aliquid
ultra limites subjectæ materiæ. 7. Ut dispositio
vel actus valeat potius, quàm pereat. 8. Ut
potius sumantur contra proferentem, quàm pro
illo, præsertim in Legibus & Contractibus, serva-
tâ tamen, quantum fieri potest, æqualitate inter
contrahentes: quod tamen in actibus Judicialibus
non procedit. Ita DD. communiter ex variis Le-
gibus. Præ cæteris pretiosum thesaurum exhi-
bent Barbosa & Tabor, seu Tabor ad Barbosam in
Locis Communibus, præsertim in *Axiomatis*.

Dico 3. Verba generalia generaliter sunt in-
telligenda, ita ut ad omnes species & ad omnia
sub genere contenta regulariter extendenda sint.
l. 1. ff. de legat. præst. l. 15. §. 26. ff. de injur. Un-
de illud brocardicum: *ubi lex non distinguit, neque
nos debemus distinguere*. Id quoque procedit in
propositione indefinita, & signo unversali, *omnis,*
nullus, non affecta, cum æquipolleat locutioni ge-
nerali. c. 22. de privil. l. 1. §. 4. ff. de Off. Præf.
Urbi. Maximè in dispositione Legali. c. 1. de Con-
stit. l. 8. ff. l. 3. C. de Legib. Nisi nimirum adsit
causa restringendi, qualis est, si generalis disposi-
tio fundetur in ratione speciali eaque expressa,
quæ tamen ad omnes species se non extendit: si

subiecta materia non patiatur generalem intel-
 lectum : si absurdum iniquum, præiudicium tertii se-
 queretur ex illimitata acceptione : pariter gene-
 ralis locutio extendi non debet ad graviora expres-
 sis. *c. 15. de Rescr.* Nec ad ea, quæ speciali nota
 sunt digna. *c. 81. de R. J. in 6.* Nec ad illa, quæ
 de Jure vel Consuetudine postulant expressam
 mentionem. *c. 4. 5. de Procurat in 6.* Neque tunc
 generalis locutio includit omnia specialia, quan-
 do certa quædam exprimit in specie, nisi exprimat
 per modum exempli.

5 Dico 4. Verba specialia plùs operantur, quàm
 generalia, h. e. species derogat generi non genus
 speciei. *l. 15. §. 26. cit. l. 41. ff. de pæn. l. 80. ff.
 de R. J.* Et verba geminata plùs, quàm simplicia.
 per *l. 32. ff. ad S. C. Trebell.* quia geminatio indi-
 cat magis feriam, & enixam, omniq̃ue metu libe-
 ram voluntatem.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Ingressus. Regula Juris quid & quotu-
 plex.*
4. *Quam vim habeant Regula Juris authentica.*
5. *Patiuntur suas exceptiones.*
6. *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
7. 8. *Quot sint Regula Juris, & quam Juris
 Canonici.*

1 **S**ciendum 1. Ut cursum meum, secundùm le-
 ges Justitiæ in V. Decretalium libris com-
 prehensas hucusque institutum, ad DEI
 glo.